



Heinricus filius fuit Etticonis Sueui comitis in Altorff, quem Ludouicus Germaniæ rex post mortem Carolomanni fratris sui Occidentali Boiarię termino præfecerat. Habebat autem Ludouicus rex huius Heinrici sororem uxorem. Itaque cum ipse magna prudentia esset præditus, a suo affine tanquam per iocum petijt, ut tantum ei agrum in superiori Boiaria concederet, quantum aureo uehiculo à prima luce ad meridiem ambire posset. Tum Ludouicus ratus coniugis fratrem pauperiorem esse, quàm ut aureum uehiculum possideret, postulatis annuit. Mox Heinricus plastro rustico circumuectus, in sinu suo aureum cur-

riculum secum habebat, hoc modo à Lyco ad Ambronem, & à Gelono flumine ad alpes Peninas transijt. Huic dolo Ludouicus arrisit, & affini suo, quæcunq; his finibus continentur, donauit. Atquæ hæc initia fuere, quibus Guelphonum celebris familia sibi uiam ad Ducatum Bauarię præparauit. id quod suo loco fusius declarabitur. Eam terræ partem Heinricus magna dexteritate gubernauit, atq; moriens filio Heinrico, atque S. Conradi parenti reliquit. Auent. lib. 4.